

Dissertatio medica inauguralis, de colica ... / [Ellis Button Metford].

Contributors

Metford, Ellis Button.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1777.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r3qwxwg5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D I S S E R T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

C O L I C A.

COLICA recte et breviter definita videtur, ‘Dolor abdominis, praecipue circa umbilicum torquens; vomitus; ‘alvus adstricta,’ cum fibrarum, praecipue in intestinis, muscularium motu abnormi *.

Colica a scriptoribus in plurimas, a Sauvagesio in viginti, species divisa est †. Quarum multae aliorum generum sunt, nec reliquae, nisi magnitudine, differunt. In hac divisi-

A

one

* Cull. Gen. morb. Cl. 2. Or. 3.

† Sauvag. Cl. 7. Gen. 22.

one causarum remotarum ratio parum recte respecta est; cum, quaecunque illae fuerint, solus internus, ex quo pendet morbus, respiciendus status esset. Quo perpenso, nihil in symptomatis certum, nihil stabile, quatenus a causis remotis ea profluant, animadvertitur, quodque pro una quavis specie habendum videatur, id, procedente morbo, in aliam verti solet; quin et is casus, qui Colica Saturnina nominatur, maximeque a reliquis distare videri potest, nihil adeo constans aut sibi proprium, excepta, quae semper intelligitur, magnitudine, quo pro specie, a reliquis casibus discreta, distinguatur, habet. De quo Islemann, qui maximam ejus varietatem vidit, ‘Interdum,’ inquit, ‘varii generis, pro diversa aegrorum constitutione, febres superveniunt, biliosae, putridae, vel ex inflammatione intestinorum, quae in abscessum abiens, morbi moram nonnunquam morte rumpit.’ *

C A U S A

* Hall. disput. morb. tom. 3. p. 306.

CAUSA PROXIMA.

Van Swietenius, qui inflammatione intestinorum contineri colicam ratus est, tamen
 ‘Varia,’ inquit, ‘experimenta recensita fuerunt, quae docent, acria applicata intestinis
 ‘spasmos excitasse in his fibris muscularibus,
 ‘per quos intestinum constringeretur validissime, non tantum in loco cui applicatum fuerat, verum etiam in vicinis plurimis locis
 ‘eodem tempore sic constricta fuisse intestina, ut omnis transitus contentis intercluderetur *.’ Et Franciscus Homius, illustris praeceptor noster, ‘A spastica,’ ait, ‘intestinorum
 ‘contractione oritur hic morbus. Eluceffit a
 ‘symptomatibus, cadaverum inspectione, et
 ‘experimentis in vivis animalibus institutis †.’ Nos spasmus intestinorum unius aut plurium partium pro colicae causa habemus. Neque observationes, cum aliae, tum incisis cadaveribus, aut inspecto in quibusdam

* Comment. in Boerh. Aphor. 959.

† Princip. Med. p. 160.

busdam animalibus loco laborante, non hanc
causae rationem, ut vir relatus ait, confirmant.
In curationibus versati adeo valido spasmu
constrictum rectum viderunt, ut hoc fistulam
clysmaticam aegre reciperet, receptaque im-
mitti tamen liquorem prohiberet. Is spasmus
partim a torpore, gradum morbosum nato,
partim a praesentis acredinis irritamento,
pendet. Acredinem, humores in intestina
excerni soliti, item perspirabilis retentus et
eodem transfusus, tum bilis, denique e ven-
triculo alii huc cumulati, omnes copia simul
et acredine adaucti, praebent. Quae acre-
do, ut in magna canalisi alimentarii mobili-
tate, Choleram, in ejusdem fine mobilitate
atoniam ad statum putridum vergente, Dysen-
teriam, in puriore debilitate cum irritabili-
tate, Diarrhoeam; ita in hoc ejus partis tor-
pore Colicam, creat.

S E M I N I U M

S E M I N I U M M O R B I.

Corporis status, huic morbo opportunus, non omnibus communis est; siquidem alii totam fere vitam eum fugiunt, alii e levissimis casibus, et saepe non evidentibus, plecti consueverunt: Est igitur proprius quibusdam habitus. Quem corporis, et, prae caeteris partibus, intestinorum torporem esse, difficile in iis, qui morbo opportuni sunt, mota alvus, et, nisi validioribus, aut magna dose datis, catharticis non parens, argumento est. Ita Islemann, quem modo retuli, ‘praecedat,’ inquit, ‘et comitatur diros hosce cruciatus alvi obstructio pertinacissima, remediis, alias maxime efficacibus, saepe haud superanda, quam, quod mirandum, quatuordecim ultra dies aegros absque dolore sustulisse, Suchlandius adseverat.’ Idemque hic, quanto tardius obstructio subnascatur, tanto vehementiorem fore dolorem, dicit.

Eundem torporem non intestinis, ac ne canali quidem alimentario, contineri, sed
alibi

alibi corporis, maximeque in summo hoc subesse, tam eorum, qui morbo implicantur, natura, quam potestatum, seminium facientium, de quibus mox dicetur, agendi ratio ostendit. Ita, qui colicae opportuni sunt, plerique raro sudant, tarde perspirant, talemque omnium fere aliarum actionum, qualis atrabilarius est, torporem manifestant.

Torpor ille intestinorum et reliqui corporis, in quo seminium colicae positum est, potest aut congenitus esse, aut iis rebus, quae habitum faciunt, creari. Congenitus, ut dictum est, ad atrabilarium notabilem illum accedens, in temperamento consistit, eo, scilicet, quod atrabilarium dicitur.

S E M I N I I C A U S Æ.

Habitu creant, eo seminii causae dicenda, quietum vitae genus, victus sedans et parum perspirabilis, ebrietas, sedantium actio, omnia in consuetudinem deducta.

Ut

Ut exercitatio idonea, musculorum toto corpore actionem excitando, sanguinem in venis ad cor redeuntem percitando, per dextrum hoc et pulmones, perque finistrum et arterias universas, et in harum, qui motui in majoribus vasis parent, finibus accelerando, perspirationem auget, consentientesque cum fibris muscularibus, perspiratoria vascula cingentibus, quae aucto in iis impetu in actionem excitantur, fibras, motum peristalticum peragentes, simili modo excitat; ita quietis, quae contrariam huic effectuum seriem, vasorum omnium motum languentem, fibrarumque torpentem statum, ponit, actio explicatu facilis est, torporisque, de quo agitur, causa manifesta.

Materia victus maxime sedans, minimeque perspirabilis, e plantarum genere parata est: Et ex hac ipsa radices, olera, et fructus talis maxime naturae sunt, quae non tam liquidam alvum, ut vulgo creditur, faciunt, quam facere videntur. Non enim, si res propius perspicitur, alvi liquiditas auctam ejus actionem, sed compulsam eò, imminu-

ta perspiratione, humorum copiam, significat. Certe haec harum rerum, quam vulgaris, verisimilior explicatio est. Eas enim pro stimulantibus nemo, contra pro sedantibus omnes fere, quocunque modo earum actionem explicarent, habere, et saepe etiam praecipere, consueverunt. Aucta autem hic alvi actio, non et ob hoc credenda est, quod perspiratio, sub illarum actione, pro certo et confesso imminuta est. Quae imminuta omnium ubique vasorum imminutam quoque actionem denunciat, et omnia praeterea indicant. Sic igitur, scilicet, perspirationem impediendo, eoque fibrarum, motum peristalticum continentium, actionem et tonum imminuendo, materiae vegetabilis, maximeque ejus, de qua sermo est, actio, sive ut diarrhoeae sive ut colicae potestas nocens, omnibus nota explicanda videtur. Eademque actio, ratione similis, sed minus valida, consueta, et intra valitudinis fines subsistens, feminium inferre potest. Eodem potionis cujusdam, nempe, fermentatione ex pomis confectae,

confectae, actio pertinet, et explicationem eandem, nec vini Rhenani, si sine saccharo Saturnino nocet, noxa aliam, recipit.

Quod si aliae potiones, siue vinosae, siue spirituosae, quae dicuntur, non solum pro potestatibus nocentibus in colica excitanda ab omnibus medicis habentur, sed per consuetudinem assumptae, paulatim agentes, intraque manifestam noxam subsistentes, feminium etiam faciunt; id, cum sine acido aut acescente proprietate, quae in potionibus modo relatis sola fere incusanda sunt, efficitur, per ebrietatem fieri solet. Ebrietas autem, quae ad tempus etiam, post stimulatricem actionem sedare solet, hoc multo magis et certius consueta efficit. Utque ejusdem, quovis uno tempore stimulum, ob id ipsum quod stimulus est, imminuta actio sequitur; ita is saepius renovatus, jamque consuetus, potestatem nervosam nimis usque intendendo, eam tandem hujus debilitatem, fibrarumque muscularium, ab ea pendentium, atoniam infert, quae sine sui causa, stimulo repetito, commode ferri nequeant.

Qui effectus, ut sic latius per totum genus nervosum, ita ibi prae caeteris ejus partibus, quo primum semper et recta usque dirigitur, nempe in fibris motum peristalticum continentibus, percipitur.

Simili modo, sedantia ultra victum, five canali alimentario, si qua sunt, five generi nervoso alibi corporis, admota, agunt. Hujus generis aëris temperies est. Quae five frigoris, sedando agentis, five caloris, vasa exhaurientis et debilitantis, forma, colicam inferre potest. Frigus, musculares vasculorum perspiratoriorum fibras atonia afficiendo, consentientes semper cum his motum peristalticum peragentes similiter afficiunt. Calor, qui immodicus magis est, quales plagae torridae ardores habentur, ubi assidue corpori humano admovetur, assidue, eoque nimis stimulando, in atonicam potestatem vertitur, tonumque in summo corpore imminuens, in canali alimentario, maximeque in intestinis, imminuit.

Hae omnes noxae ut seminium facere possunt, quod ideo acquisitum recte dicitur,

ita,

ita, ubi congenitum subest, id augeant, et tanto magis noceant, necesse est.

POTESTATES NOCENTES.

Potestates nocentes sunt omnia ea, quae, subito et potentius agentia, feminium augment. Suntque ea ipsa, quae, paulatim et lentius agentia, feminium acquisitum faciunt, naturale augment. Eadem atonica seu sedantia sunt. Atoniaque, quam inferunt, ut aliqua ex parte in corpus reliquum, ita ut in summum corpus, aut in canalem intestinale, potissimum dirigitur.

Quies hoc in loco subita, id est, quae repente labori aut exercitationi immodicae succedit, intelligitur. Cujus effectus imminutio vel suppressio perspirationis est, fibrarum, a qua motus peristalticus pendet, actionem pro rata parte imminuens aut quodammodo etiam sistens. Hic illius effectus colicae necessarius est. Alter ejusdem effectus, diarrhoeae necessarius, nempe aucta in intestinis secretio, potest aut a colica

lica abesse, aut cum ea conjungi. Quod si, ut opinor, saepius aucta in intestinis excretio, ex imminuta perspiratione incidit; tamen in torpente fibrarum muscularium, quae motus peristaltici instrumenta sunt, statu relato, non ad eum motum toto canali augendum, et sic liquidam alvum dandam, sed ad abnormem et spasmodicum irritante acredine reddendum, illa pertinet. Humores sic in intestina excreti, et sic irritantes, mucus, humor intestinalis, et exhalatus, sunt, unam excretionem compositam conflantes, siquidem nullus eorum absque reliquis aut copiosius aut parcius excerni reperitur. Sed alia acedinis causa bilis est, cujus aucta secretio simul et excretio ab eadem origine, nempe, perspiratione impedita, pendet. Quae adeo, eoque quo dictum est modo, nocet, ut speciei colicae, quae Biliosa dicta est, opinionem abundantia ejus fecerit. Sed haec non semper causa, et saepe haud obscurus effectus, est, a vomitu, postquam is supervenit, multis ductibus biliariis, pendens. Horum humorum acredo, torpente
motu

motu peristaltico, irritando hunc in spasmodicum mutat.

Victus sedans et parum perspirabilis ex ea materia, quae in feminii causis exposita est, constat, et eodem, quo illic quoque relatum est, modo, sed vehementius, ac repentina magis vi, suum effectum edit. Si autem talis materia in perspirationem forte occlusam incidit, quales in canali turbas facere possit, experientia quotidiana docet. Hinc acredinis, modo relatae, origo. Et sic, cohibita frigore perspiratione, poma, olera, radices, aut carnis adeps, colicam millies intulerunt. Quin et eadem, sedando, et cordis arteriarumque actionem imminuendo, extremarum quoque harum imminuunt, et per se perspirationem hebetant.

Simileque ebrietatis magnae et sedantium aliorum opus est. Quae, sive in ventriculum, sive in superficiem externam, sive denique in nervorum originem, agant, parem ubique, maximeque in partibus morbi faevitiae opportunis, atoniam et pares turbas inferunt. Quis, crapula quoties colicae causa, quamque

quamque potens, fit, ignorat? Nec dubium est, quin animi affectiones similiter intestina commoveant.

Omnes hae potestates, quae, leniore gradu et agere consuetae, feminium acquisitum faciunt, majore gradu vi repentina, et quasi uno ictu, feminio jam ante intus parato, et ad morbi modum assurgere prono, cum hoc conjuncto, morbum tandem excitant. Omnium communis effectus est, fibris intestinorum muscularibus torpentibus irritamento esse, easque, ob id ipsum quod torpent, non ad contractiones validas, quales intra certum modum consistunt, et cum relaxationibus alternant, sed ad contractiones, quae, dum deficiunt, abnormes et spasmodicas fiunt, excitare. Irritamenti acredinis effectui distentio siue earundem, siue aliarum rerum, qualis aër fere est, addita, inchoatum spasmus auget.

DIAGNOSIS.

Morbi, quos propius colica refert, Hepatitis,

titis, et aliae quaedam abdominis phlegmasiae, et prae reliquis Enteritis, sunt.

Ab hepatitide distinguitur hoc, quod, in eo casu, qui solus colicam refert, nempe, cum jecoris inflammatio ad colon vicina est, diaphragmatis affectio jecur, non colon, laborare indicabit. Absolvethque discrimen aliorum hepatitidis signorum praesentia, colicae absentia.

Eandem a Splenitide, Peritonitide, et similibus vicinorum viscerum inflammationibus, doloris sedes, quae in colica circa umbilicum torquet, non in illis, et initio morbi semper absens pyrexia, distinguunt.

Quod si sedes doloris, et pleraque alia signa, colicae cum enteritide communia ferre sunt; tamen sola pyrexiae nota, quae ab illa, saltem ineunte, semper, ab hac nunquam abest, fatis in discrimen est.

Ad colicam ab omnibus iis phlegmasiis porro distinguendam, si quando notae relatae ancipites videantur, causae remotae pertinebunt: Quae in colica tales quales memoratae sunt; cum in phlegmasiis seminum

nium perpetuum diathesis phlogistica, potestates nocentes perpetuae frigus, et quaecunque aliae diathesin phlogisticam subito augment, intelligantur.

Ileus, qui a plerisque scriptoribus ad enteritidem pertinere creditus est, colica tamen est, cui progrediente morbo aut obstructio iuxta intestini aut inflammatio supervenerint, notis colicae propriis novae adfectionis effectui praecedentibus dignoscendus. Itaque, si pyrexia in morbi cursu inciderit, inflammatio, si obstinatus stercorisve vomitus, et obfirmata alvi durities, obstructio accessisse, credendae sunt.

Ileus quoque videri potest localis vitii effectus; ut, cum circa corpora duriora, in aliqua intestinorum parte haerentia, nova materia retenta usque impedimentum fixum auget, aut ubi ex aliquo casu, puta, gastritide, five ideopathica, five symptomatice, eoque ipsa colica, portio aliqua intestini, applicatis hujus inter se lateribus, concrevit, aut denique, quando post distentionem insolitam, aut ex alia quavis causa, intestini pars in
proximam

proximam recepta est. Qui casus ab idiopathica colica plerumque hoc dignoscetur, quod ab initio ad finem talis morbi nihil alvo redditur, cum rarissime in colica aut aër, aut humor tenuis, aut aliqua ex parte stercus fluens, non dejici soleant. Quod discrimen, si non semper respondet, et justa alvi compressio sine obstructione insuperabili reperitur, internum flatum discernere minus eo refert, quod sola colicae remedia in utrovis casu tentanda sunt, quibus frustra habitis, actum fere de aegrotante est.

Pro specie colicae habitus est affectus, magnam alvi compressionem efficiens, Colica Saturnina aut Piclonum nominatus. Ejus causa remota plumbum acido, aut extra corpus humanum aut in hoc intus rosum, reperta est. Ejusdem frequens affectus extremorum, maxime superiorum, paralyfis est. Qui affectus eo minus mihi colica justa esse videtur, quod causa ejus in quolibet, et non solos in opportunos, agit, quodque etiam diversum effectum, nempe, paralyfin modo relatam, trahit. Unde, eti-

am intestina non colicam, sed horum fibris actione sua privatis, et motu peristaltico deleto, paralyfin adficere credo. A quo morbo, causae remotae et paralyfis praesentis aut absentis ratione, colica iusta distinguenda est.

DE EVENTU MORBI JUDICIUM.

Colica scite et prudenter curata raro, neglecta aut male administrata plerumque, ni fallor, exitio est. Hinc ex infelice vulgo, qui Naturae, quam medico, credendos potius morbos existimant, plurimi hoc inte-reunt. Neglecta colica jugulat, quod, irritante simul et distendente materia crescente, spasmus, ab ejus effectu pendens, usque crescit. Hinc simplex colica vertitur in ileum, qui cum inflammatione, aut sine hac, interficit, aut in gastritida symptomaticam, cujus praesentiam pyrexiae et propria idiopathicae gastritidis signa indicant, aut in obstructionem relatam, quae Volvulus vulgo dicitur. Quorum aliquid vel ab initio subesse existimandum

mandum est, quoties morbus, pro colica habitus, mature et bene curatus, non tamen sanatur, sed proprias turbas modo relatas, excitat. Quo in casu, licet obstructio absit, tamen quae intus est, constrictio plerumque pure spasmodica non est, sed cum vitio locali, ex aliqua memoratarum originum, nexa.

C U R A T I O.

Consilium medendi colicae est: 1. Spasum solvere, hinc causam ejus irritationem, hinc effectum prius, dein invicem causam, distentionem, aut etiam recta, tollendo; tum torporis redditui occurrere.

Quod ad consilium prius attinet, quoniam quamdiu distendens causa permanet, tamdiu aliud agentia remedia proposito medici aberrant; igitur ab iis remediis, quae ad sterces et congestos humores dejiciendos pertinent, initium faciendum, eo commodiora sunt, quod eorum aliqua ad acres humores auferendos simul valent. Sic distentionem tollentium primum memoranda

Alvum

Alvum purgantia sunt, quae rursus ore dantur, aut in alvum immittuntur.

Ore data alvum varia, et alia lenius, alia gravius, purgant. Quorum quae lenius purgant gravius purgantibus nunc vulgo anteponuntur; propterea quod haec ob acredinem rejici per vomitum periclitantur, inflammationem ultro accendi periclitantem excitant, irritandoque etiam aliqua ex parte ad augendum spasmus pertinent.

E lenius purgantibus cremor tartari commodiorum in numero est. Is neque gustatu ingratus est, neque rejici vomitu periclitatur, et perquam leniter, sed non impotenter, agit. Datus igitur electuarii forma, ad semunciam circiter, saepe respondebit. Alterum medicamentum, leniter quoque purgans, et non acredine irritans aut tormina excitans, sal neuter Glauberi est. Quem gustatu ingratum, et rejici per vomitum periclitantem, sexta salis communis, quam purissimi, parte addita, corrigendum Cullenus judicat. Convenit quoque oleum ricini, ut nuper, periculo facto, exploratum est. Quod
fi

fi iis, quorum ventriculi oleorum genera minus bene ferunt, ingratum nauseam excitat, motoque vomitu rejici periclitatur; at, cum portione aliqua merace, qualis spiritus Gallicus, aut saccharinus est, conjunctum gratus erit. Gummi etiam guaiacum bene alvum purgat, neque inflammante opere formidandum videtur. Utque difficilius quidem ventriculo dissolvitur, ita mucilagine, saccharo vel ovi vitello accurate diffusum, facilius dissolvi poterit. Idem, parvis dosibus ad drachmas duas datum, alvum bene laxat. Calomelas, qui ad grana decem datus, alvum quidem purgat; quia tamen inflammationis excitandae periculum adit, rectius in hoc morbo omittitur. Denique, tartarum emeticum, parvis dosibus datum, ita in colica est, ut sic pylorum transeat, et in intestina agens purget. Quod, ob certum prope excitandi vomitus, qui ultro nimis incidere periclitatur, effectum, procul dubio rejiciendum a colicae curatione est. Haec remedia fere sunt, quae ore data, ad alvum purgandam pertinent. Verum eodem consilio,

In alvum quoque varia immittuntur. Ea purgantium ore datorum opus adjuvant, inter quod etiam adhibita, ut sic quam longissime motus peristalticus excitatur, melius respondent. Praeterque hunc effectum, ubi colo contenti dolores sunt, et a stercore inter ejus valvas impacto pendent, clysmata, ad partem laborantem penetrando, intestinum constrictum laxare, sterCUS convellere et deducere promittunt. Terebinthina immissa saepe efficax remedium reperta est, et ad unam unciam data plus plurimo colocyntho prodesse. Quae tamen et cautam administrationem postulat, et stimulando inflammationem impellere minitatur.

Non igitur quiescere in utere, ne ad extremum hunc effugiens non in alvum immittatur, finendus est, sed cum altero humore bene confusa sine mora immittenda. Eademque, si aut inflammatio metuitur, aut illius stimulus, morae impatiens, intacto stercore citius justo refunditur, omittenda, et ad minus stimulantia decurrendum. Sales neutri, ut nitrum et sal Glauberi, saepe et prospere

spere quoque adhibentur. Sed et ii quoque, si stimulando, re infecta, quod aliquando fit, terebinthinae instar, refunduntur, humori minus aut non omnino stimulant posthabendi. Talis aqua calida est. Quae copiose immissa, et non irritando permanens, stercus durum mollit, intestina relaxat, et distendendo purgans, saepe feliciter impactas res deducit. Cui si stimuli aliquid requiritur, salis communis paululum respondebit. Ejusdem autem vis relaxans quae, extrinsecus admota, adeo ad spasmum solvendum efficax est, non intus quoque plurimum prodesse, illic etiam relaxando et spasmum imminuendo, non potest.

Praeter alvum purgantia, ore et alvo data, aliud est, quod, his omnibus frustra administratis, saepe alvum dejecit. Id frigida, stantis super lapidem frigidum nudis femoribus, cruribus et pedibus affusa, reperitur.

Ad hoc caput distentionis tollendae, licet non purgando agens, primarum viarum dilutio pertinet. Cujus generis sunt juscula, ex carne parata, demulcentia, et mollientia,
potui

potui data. Haec, quae in dysenteria, durum stercus humectando et molliendo, ad hoc convellendum et depellendum manifeste pertinent, nec levem opem ferunt, eadem virtute adversus eundem intus statum, hinc quoque usui esse possunt.

Ad irritationem, qua spasmus augetur, componendam, eadem diluentia, particulas acres inter se disjungendo, vimque earum frangendo, aliquid valere possunt.

Haec medicamenta, ore aut ano data, item diluentia, si cum cura urgentur, nec confirmari mora morbus finitur, in plerisque idiopathicae colicae casibus per se sola respondebunt. Verum

Alia sunt, quae recta spasmum adficiunt. Eorum praecipua sunt vesicatoria et balneum; quae relaxante virtute, et sic solvendo spasmo idonea, agere videntur. E quibus

Vesicatoria in plerisque viscerum, praeque caeteris, abdominis adfectibus, sive spasmodicis, qualis hic est, sive inflammatoriis, ut prudentissimus quisque medicus jamdudum testatur, praesenti sunt auxilio. Res certa est,

est, quoquo modo eam explices. Verum e tribus actionibus, quae vesicatoriis tributae sunt, et nunc quoque quam maxime tribuuntur, stimulante, humorem detrahente, et laxante seu antispasmodica, certe haec in praesente casu est, qua adeo salutifera comperiuntur. Si enim intra breve temporis spatium quam imposita sunt, saltem quam agere coeperunt, non solum validissimus ipsorum intestinorum, sed et abdominis musculorum, spasmus ille, quo, umbilico intro versus spinam retracto, plurima in abdomine quasi tubera, ut sacci pomis referti instar ille videatur, efficiunt, aut ex toto solvitur, aut manifeste remittens locum dat, quo alia remedia interposita morbum tollunt; id nulla humores ad summum corpus pertrahendi virtute, vesicatoria efficiunt; utpote cum neque tantum humoris auferatur, neque ejus abundantia tam noceat, neque quibus viis sic salutaris detractio fiat, ita pateat, ut sic agere remedium existimandum sit. Relaxare igitur primum

D tegumenta,

tegumenta, dein infra haec fitorum musculorum, tum ipforum intestinorum, spasmus vesicatoria judicanda sunt. Quoniam autem eo semper efficaciora sunt, quo propius partem laborantem imponuntur; igitur, in hoc morbo, ipsi abdomini imponenda ita sunt, ut umbilico tamen, qui, iis rosus, non tam facile sanescit, abstineatur.

Balnei vis quoque relaxans ab omnibus agnoscitur, ipsumque, qui de morbis spasmodicis scripserunt, inter prima remedia omnes habuerunt. Juvenis, qui lauream in hac academia petens, de colica scripsit, propria observatione relaxantem et antispasmodicam balnei virtutem his verbis confirmat. ‘Quin et nos ipsi,’ inquit, ‘quater balneum, colicae dolorem, nequidquam agentibus, aut pro tempore tantum sublevantibus fomentis, penitus fugare vidimus. Neque in tribus e quatuor casibus dolor postea unquam rediit. Cumque in una virgine, five quod ea irritabili admodum habitu erat, five quod alvum suam purgare noluit, tamen dolor rediisset, manna purgata alvo,

‘ in

‘in perpetuum est fugatus.’ Non igitur justum balneum non optimum adversus colicam auxilium est. Quod cum, ut saepe, parabile non est, pro eo forma ejus, nempe fomenta, utenda sunt. Fovendumque, nisi eo prius impositum vesicatorium prohibeat, abdomen est, si prohibeat, extrema inferiora *.

Haëtenus de conveniente colicae puriori medendi consilio, deque huic respondentibus remediis, dictum sit. Verum, cum eadem inflammationem symptomaticam accendere periclitetur, et toties accendat, ut multi in inflammatione causam ejus collocent, vel ad vomitum excitandum, quo omnibus remediis resistitur, et morbus confirmatur, pertineat; ideo quo modo utrique huic periculo occurrendum sit, paucis exponere propositi nostri erit.

Quod

* Sed vix hoc metu opus est; nam, ut ingeniosus et optimus praeceptor Hope ait, haerente adhuc ventri aut tergo vesicatorio, balneum respondet, praeterque hoc ad ipsius vesicatorii dolorem leniendum pertinet.

Quod ad inflammationis periculum attinet, licet morbus in torpore situs esse dictus sit, qui habitus ab inflammatorio longe distat; tamen, sive hic quodammodo subsit, sive potestates nocentes phlogisticae, et, praeter caeteris, frigus, praecesserint, sive denique utraque noxa occurrerit, vel ubi haec quidem desunt, sed longior morbi mora partis laborantis, in inflammationem iturae, metum facit, multoque magis, si coeptae illius signa, quamvis obscura, prodeunt; in omnibus his casibus, ad inflammationi occurrendum, vel quodammodo praesenti medendum, curandi consilium est, vasa sanguifera periclitantia relaxare. Quod perficiendi optima via, scilicet, ut ex ipsa parte sanguis detrahatur, quoniam non patet, ideo ad proximam decurrendum, et copiose ex brachio sanguis detrahendus. Quae detractio, omnia vasa relaxando, habitum phlogisticum, si forte subest, solvet, et, hoc facto, affectionem partis levabit, absenteque illo habitu, ad laborantia vasa quodammodo effectum tamen perfert. Certe profuisse hoc remedium experientia multorum

multorum confirmat. Optimus noster nuper Praeceptor Gregorius, in praelectionibus suis, adeo illud profuisse testatur, ut, ubi spasmus ingens clysteri aditum negaret, is, sanguine misso, protinus reciperetur.

Rursus cum purius spasmodicus morbi status est, sed mora confirmatus, vel etiam si inflammationis aliquid inductum, sed sanguinis missione habitus inflammatorius, qualis qualis fuerit, solutus, jamque vomitus non coepit solum, sed viget; ad hunc componendum tumultum, prius antispasmodicum, scilicet, opium, utendum erit. Quod, licet motum peristalticum sedante opere imminuat, et sic ad caput mali confirmandum pertinere videatur; tamen, sedando vomitum et remedia dandi copiam faciendo, manifeste prodest, dum, motum peristalticum abnormem et inversum imminuendo, forsitan non omnino nocet, et contra juvat. Nam certe aliud est rectum, aliud inversum illum motum sistere. Verum, ne rationibus a recto abripiamur, quid in aliis casibus, non dissimilibus, opium praestet, videamus. In lo-

chiorum

chiorum post partum profluvio, motus uteri abnormis molestos dolores excitat, et somnum fugat. Quid opium facit? Post opus ejus, etiam copiosius profluvium, sed ordine et rite procedit, dolores fugantur, reducitur somnus. In dysenteria, saepe humorum acredo et stercoris duri impactique distentio, quem faciunt, in nimium urgent, spasmus. Ibi quoque dandi saepe opii necessitas est; quod remedio efficaci fit. Imminuitur, manente adhuc materia distendente, spasmus, et haec aut motu peristaltico minore, sed validissime per se, aut certius quidem purgantibus sustentato, propellitur. De ejus in cholera, ubi, praeter abnormitatem, motus peristalticus etiam nimius est, virtute nil ambigitur, et illic remedio manifeste, quae in colica metui est, sedans opii proprietas. Et quid ni? certe enim, si, quod posse nemo dubitat, motus ex parte abnormis et convulsivus fit, ob id ipsum quod nimius est; quicquid igitur imminuat eum, ad salutem fit necesse est. Sed non in colica, excepto vomitu, adversus quem pro remedio

dio receptum est; de opio perinde ratiocinandum est. Cujus illic usus, qui ad torporem, in quo caput coli positum est, augendum pertinens, tantum mali sedando, quantum boni spasmus recta imminuendo, facere periclitatur, periculosus fore videtur; neque committendum, ut, prae virtutis antispasmodicae fiducia, effecti, quod sedare et adstringere alvum notum est, periculum adeatur. Tutiusque videtur aliis laxantibus remediis, supra relatis, contentum esse, quam ad opium decurrere, vim hujus sedantem, purgantium simul datorum vi, superatam iri sperantem.

Ubi constrictio magna est, et nullis remedium relatorum cedit, ad eam vi superandam medici decurrerunt, et modo aqua calida in alvum, modo argento vivo, aut globis metallicis, ore datis, ejus rei periculum fecerunt.

Si in intestinis tenuibus morbus sedet, aqua ad hunc pervenire et valvam coli superare posse, vix speranda est. Quae contra, ubi coli aliqua pars laborat, alvum relaxando,

laxando, ut supra dictum est, potius, quam vi distendendo, agere putanda est.

Argentum vivum in statu pure metallico dari consuevit. Quod, quoniam non una massa, sed hac in plurimos globulos, humoribus in intestinis ubique impeditos, et inter se disjunctos, divisa, ad partem laborantem pervenit, frustra esse videtur. Idque post Ducis Duglassii mortem in cadavere ejus exploratum est *. Magnus Sydenhamus, qui nullum temere remedium damnaturus fuisse credendus est, de ileo loquens, ‘ Methodus,’ inquit, ‘ eum curandi haecenus fere ‘ incognita fuit, quicquid jaçtent de usu argenti vivi et globulorum, quae, praeterquam ‘ quod parum conducunt, noxam saepe haud ‘ contemnendam inferunt †.’

Neque globos plumbeos aut argenteos, eodem consilio datos, licet, quacunque eant, pondus circumferentes, felicius agere, sive ratione sive experientia adductus judices. Quippe enim per varios intestinorum gyros delati

* Cull. prael. et Monr.

† Opera universa, pag. 76.

delati, quantum, alibi descendentes, pondere juvantur, tantum, alibi ascendentes, eodem retardentur necesse est. Et, si ibi intestini, quod saepe quoque accidit, morbus sedet, quo ascendendum metallo sit, cui pondus usui esse potest?

Si quid hujusmodi opem ullam promittit, id tabaccae fumus, in alvum immissus, est. Qui valvam coli transire et distendendo intestina purgare forsitan valet.

Post sublatum his remediis morbum, quoniam, ut supra dictum est, is in seminio, nempe torpore, positus est; ideo diu post a potestatibus excitantibus, maximeque iis, quae seminium augere periclitantur, diligenter erit cavendum.

Peraeto utcunque hoc opusculo, quicquid in eo erratum sit, quicquid deficiat, quicquid redundet, bonaeve materiae male tractatae culpa, secus sit admissum, id omne eo facilius mihi condonatum iri spero, quod ausus hic juvenilis, quod necessarius, et temporis angustia absolutus, est. De vobis autem, viri maximi, illustres florentis acade-

miae Doctores publici, tacendum quam dicendum duco; nihilque cum famae vestrae addi possit, ita mihi gratulari, quod studiorum meorum, vestraeque et academiae gloriae, eadem tempora fuerint, utque haec felicitas, emolumentum generis humani causa, vobis propria sit, mihi fas sit precari.

F I N I S.